



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Orationibvs Variis, Et Ignitis aspirationum iaculis ad Deum, Deiparam
Virginem Mariam, cæterosq[ue] Sanctos - exercitijs item diuersis, tum
maximè Paßionis Dominicæ, eiusq[ue] matris, refertißimus

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Pro mititate.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45928](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45928)

etiam inimicos & aduersantes mihi infundat atque confirmet. Infundé quæso mihi mitissimè Iesu ardentissimam charitatem, affectumq; patiendi quæcumque molesta & contraria pro te, quia tu tam molesta, tamq; indigna passus es pro me. Da mihi tantam charitatem & patientiam, vt nullis passionibus aut molestijs aded possim vnquam fatigari, quin maiora & grauiora semper desiderem pati, Amen.

Pro abnegatione & patientia in aduersis, Precatio.

Dulcissime Domine Iesu Christe, da mihi misero peccatori crucem veræ penitentia feruenter amplecti, tuæ passionis vestigia imitari, atque per viam perfectissimæ abnegationis te sequi: ea quæ in mundo sunt blanda aut delectabilia execrari, & pro tui amore quæcumque dura & aduersa desiderijs sitibundis amplecti, Amen.

Pro mititate, Precatio.

OIesu mitissimè, qui stupendum & admirandum mititatis & patientiæ nobis exemplum in tua passione reliquisti, ita vt ne vnum verbulum amarum omnibus inimicis & tortoribus tuis responderis, aut impatienciæ aliquid signum demonstraueris, da mihi misero veram cordis mititatem & mansuetudinem, ne vnquam in aduersis casibus frangar, aut repentina ira vel vlciscendi passione permotus inimicis meis mala pro malis rependam. Transseat quælo Domine virtus amarissimæ passionis tuæ omnia interiora mea, atq; ad omnem iniuriam, molestiam, contumeliam perferendam promptum me reddat. Da præterea mihi gratiam tuam ne humana pertimescam iudicia, neque proximorum meorum increpationes indigno aut amaro recipiam animo, sed semper & ex animo optem, ab omnibus argui & reprehendi, quatenus hac occasione omnes superbiz & impatienciæ motus in me conterantur, meiq; despectio & contemptus indies magis ac magis excreseat, Amen.

Pro fortitudine animi in aduersorum persequente, Precatio.

OIesu amabilissime, admoneo te illius ardentissimæ & admirandæ charitatis, qua toties tuorum discipulorum corda es consolatus, & ad futuras tentationes, vexationes, & hominum malignorum persequentes benigne tollerandas præmonuisti, dicens: *Nolite timere eos qui corpus occidunt, animam autem occidere non possunt. Item: Non turbetur cor vestrum neque formidet. Item: Si me persequuntur, & vos persequantur, dignare & me in omni aduersitate & malorum persequente confortare & animare, ne succumbam, aut hostium importunitate aut nimia malignitate à te Deo meo exturber, neq; hac ratione tuam gratiam hastenus misericorditer mihi indultam amittam, meq; ipsum miseris extremis inuoluam. Ah Iesu superducissime, qui ipse in te expertus es, quàm durum quàmq; molestum & difficile sit sensualitati, aduersari, & hominum improborum improbos sufferre mores, noli me obsecro in hac despiciere hora, cum vndique ingruant tentationes, foris pugna, intus timores & daemonum callidissimæ suggestiones, carnis quoque indomitæ illecebræ, & id genus alia: sed pro solita tua pietate oculos tuos ad me conuerte, atque auxilium gratiæ tuæ mihi impende.*

Ah Iesu clementissime, en tibi soli, ab omnibus derelictus, omniumq; charorum auxilio destitutus, conqueror, quod non valeam vltra, nisi cito succurras, hostibus meis resistere, neque eorum diutius sustinere impetum. Adiuua igitur me

VIR-

Matth. 10.
v. 28.
Ioan. 14. v. 1.
& 27.
Ioan. 15. v. 20